



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

**Luxemburgi, 1740**

Nerio S. Eustachii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali Corsinio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)



N E R I O  
S. E U S T A C H I I  
S A N C T Æ R O M A N Æ E C C L E S I Æ D I A C O N O  
C A R D I N A L I C O R S I N I O .

HIERONYMUS MAINARDUS

S. P. D.



U O D mihi libraria in Arte diu multumque versato licuit animadvertere, CARDINALIS AMPLISSIME, illud est Librariorum in more positum, quum Volumina suis impressa formis vulgare cogitant, ut eadem magnorum Principum

a

pum

pum splendentia nomine in lucem edant. Quin etiam cur tantum splendoris comparatum iis velint, deprehendi. Id faciunt scilicet, aut grati animi ergo, eo quod maximis sint cumulati beneficiis; aut sapienti ducti consilio, ut Principem demereantur; aut denique necessitate coacti, quod operis natura ipsa Virum Principem spectet. Unoquoque horum capitum me moveri, ut Tibi, **CARDINALIS AMPLISSIME**, hanc Sacrarum Legum Collectionem nuncupem, diffiteri non possum, nec debeo. At enimvero quæ & quanta tum publica tum privata in me beneficia contulisti? Utinam moderatione tua summa non prohiberer numerando recensere, quorum pro ea, quam Tibi natura indidit, animi magnitudine es oblitus? Tuum vero maximum patrocinium ut assequar, periclitandas mihi esse omnes vires intelligo, mecumque omnes perinde aestimant, quicumque adeo clara adeoque illustria ea virtutum ornamenta suspiciunt, quibus inclyto Tuo generi non insuetum Sacræ Purpuræ decus accessit. Cæterum tametsi utraque movear ratione, nullo tamen pacto eas comparari posse puto cum illa potissima, quæ ex hujus Operis natura petitur.

Sacrarum hæc legum Collectio, **EMINENTISSIME CARDINALIS**, ad Te, veluti ad suum Dominum optimo, meritoque jure convolat: Tua quippe est. Quidni enim? Sanctissimus **D. N. CLEMENS XII.**, quem Tibi conjunctio sanguinis Patrum dedit, Catholica autem Ecclesia Patrem esse voluit, Tuo potissimum usus consilio ex his quamplurimas tulit:

tulit : nonnullas Tuo commisit examini : multisque Tu ipse causam , in Apostolica sollicitudinis partem vocatus , dedisti. Quamobrem dum easdem ex meis Typis prodeunt Tibi dedico , æqui partes impleo , Tibi reddens quod tuum est.

Nec vero hoc uno Volumine latæ omnes a Sanctissimo Patre leges comprehenduntur : diversæ enim temporum difficultates & multas numero , & harum nonnullas pluribus tractandas pepererunt. Primam itaque partem nunc evulgo , eas nimirum Constitutiones , quas primis quatuor Pontificiæ suæ administrationis annis Princeps Optimus sanxit : reliquas editurus quum primum satis otii nactus ero ab iis , quæ me in diversa distrahunt , negotiis. Atque utinam Deus Optimus Maximus CLEMEN-TEM XII. Ecclesiæ suæ bono diutissime servet , ut ingentem Voluminum copiam ex sanctissime ab eo latis , ferendisque legibus possim conficere. Laboribus , impensisque non parcam : quamvis tamen iis potissimum decretis , quibus obrepentia prope diem vitia coercentur , desiderari velim occasionem. Sed quæ usquam urbs virtutibus clara , vitiis inaccessa ? Virtutis expertes turmas hominum permultas inveniemus : ab omni vitiorum sorde puras nullas prorsus.

Hanc itaque animi mei significationem , quantula illa est , qua soles benignitate , CARDINALIS AMPLISSIME , accipere ne dedigneris : ac si eam tarde quidem promo , hoc non desidia , seu voluntariæ protelationis contumacia ; sed quampluribus gravibusque , ac non felicibus  
artis

artis meæ, temporumque circumstantiis, factum  
precor existimes: nihil enim mihi fuit antiquius,  
quam hoc officii debitum Patrono beneficentissimo  
persolvere. Interim ego salutem, & fausta quæ-  
que precatus, Sacram Purpuram Tuam humili-  
ter exosculor. Vale. Dabam Romæ Kal. Mar-  
tii An. S. MDCCXXXVIII.



AD LEC.